

No. 48. 230-9
DE
FASCIARVM CAVTA
IN
PVERPERIS APPLICATIONE
1783, 12

GRATIOSI ORDINIS MEDICI
IN REGIA FRIDERICIANA
AVCTORITATE ET CONSENSV
PRAESIDE
D. PHIL. ADOLPHO BOEHMERO,
FACVLTTATIS MEDICAE SENIORE, ETC.

PRO
GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS
AC PRIVILEGIIS DOCTORALIEBVS
LEGITIME IMPETRANDIS
A. D. XXVI. APRIL. MDCCCLXXXIII.

M. L. Q. S.
PUBLICE DISSERET
IOANNES LUDOVICVS BRVNOW
COLBERGA-POMERANVS.

HALAE,
LITTERIS IOANN. CHRIST. HENDELII.

VIRO. REVERENDO.

DOCTRINAE. VIRTUTVMQVE. ELEGANTIA.

INTEGRITATE. VITAE. ATQVE. OMNI.

LAVDIS. GENERE. CONSPICVO.

DOMINO.

ERNESTO. LEOPOLDO. GVILIELMO.

S C H L E E

SACRORVM. ANTISTITI.

IN. PAGO. SCHVLZENHAGEN.

PROPE. COLBERGAM.

STUDIORVM. MORVMQVE. SVORVM.

OLIM. MODERATORI.

PRIMITIAS. HAS. ACADEMICAS.

A D. C O N S E R V A N D A M. G R A T A E. A C.

PIAE. MENTIS. MEMORIAM.

S A C R A S. V V L T. E T. O F F E R T.

IOANNES. L V D O V I C V S. B R V N O W.



§. I.

Cum veteri consuetudine receptum est, vt statim a partu puerarum deligeretur abdomen, quamvis non raro ignoret officiosum muliercularum genus, cur hoc ita fiat; tum fuerunt, iisque magni nominis, medici, qui dignitatem aliquam conciliarent huic instituto. Neque tamen desuerunt clari viri, qui starent ab altera parte, et supervacaneam potius, quam necessariam, immo plane reiiciendam putarent fasciationem abdominis noxios propter effectus, a strictiori potissimum deligatione oriundos. Nihilo minus tantum apud nostrates inualuit vetus institutum, vt, quae munus obstetricium curamque puerarum gerunt, feminae omnium fere malorum caussam, quae pueris accidere solent,

in

in neglectam coniiciant aut male administratam ligaturam. Quae cum ita sint, neque a re, neque a tempore alienum videtur, paullo prolixius de hoc arguento differere, et nosios aequae ac salutares instituti huius perquirere effectus, ut illi nec nimium concedamus, nec derogemus aliquid.

§. II.

Pro diuerso applicationis modo, qui potissimum in constrictione vel relaxatione consistit, diuersimode agere fascias, uno ore fatentur omnes. Hinc fascia, quae leniter stringit partes solidas,

- 1° imminutam staminum cohaesionem reparabit, et infirmitatem, ab organica structura pendentem, adiuuabit
- 2° ut solidis relaxatis fulcimento, ita obstaculo erit fluidis distensuris, dum vasa cellulasque coarctat
- 3° placida denique neruorum compressione, vi aequali producta, sensum doloris mitigabit, qui partium extensionem comitatur ^{a)}.

Sin iusto arctius constringitur fascia, fieri non potest, quin circulus humorum turbetur et partes solidae destruantur.

a) Huiuscemodi dolores, qui ab inaequali pendent eius principii distributione, quod *impetum faciens* dixit **HIPPOTRATES**, ex parte vel omnino compressione sifiri, multa sunt, quae doceant, exempla. Nonne pleuritici leuamen doloris sentiunt, vbi in latere affecto cubant, augmentum, vbi in opposito? Nonne dolores colicos, et flatulentia ortos, multum leuat incurvatio corporis, pronus situs, quaecumque demum abdominis compressio? Pertinet hoc exemplum puellae, quae cum adeo esset sensibilis, ut a lenissimis stimulis in motu incidenter conuulsus, fascis, corpus adstringentibus, a **SWIETENIO** (Commentar. T.I.) sanata fuit.

antur. Tantum itaque abest, vt indicationibus nostris respondeant effectus, vt multa inde proficiantur mala, quae fasciis tribui solent in genere.

§. III.

Memoranda nunc veniunt ea rationum momenta, quibus abdominis puerperarum deligationem vulgo sustinere student. Primam originem repetere ca videtur a *tumore abdominis*^{b)}, qui post partum sat etiam naturalem ac felicem frequenter relinquitur, et adeo interdum increscit, vt nouam grauiditatem simulet. Cum vero omnem a legibus pulchritudinis recessum quam maxime reformidat sexus amabilis; tum, vt erugetur abdomen adque priorem formam venustatemque redeat, ligaturis injectis id arcte constringunt compressumque mulierculae. Neque omnibus medicis displicuit ista opinio, cum actioni fasciarum, §. antec. n. 1. et 2. determinatae, egregie consentire videatur. Ligature enim partibus, quarum imminuta est laxitate elasticitas, externum quasi robur impertinet, partemque illam, quae elasticitati decessit, compensant; quare tumores, ab inertia enatos, tollunt. Nonne eumdem in illo tumore praestabunt effectum, qui soboles est grauiditatis praegressae? Venter enim a partu, quem intus habuit, frequentius fuit intentus, et ipso nunc edito, resolutus, quam ob causam magna fibrarum laxitas relinquitur, neque id musculis solum ac peritonaeo accedit, sed ipsi etiam vtero, qui relaxatus difficultius contrahitur. Hinc STAHLYS^{c)} et IVNG-
KERVS

b) Ein sackichter Leib, germanice.

c) Diff. de puerpar. affect. Hal. 1704. Tumorem hunc flatulentum putat, quapropter p. 15. inquit: *abdomen mantili latiore colligetur.*

K E R V S d) (duo enim adduxisse sufficiat) abdominis tumidi ortum a ligatura post partum neglecta repetunt.

§. IV.

In primis nunc inquiramus, an culpa relietae a partu deformitatis recte in abdomen, aut plane non, aut non rite ligatum, deuolui queat? Multa sunt, quae obstant, quo minus in hanc discedamus sententiam. Illustris enim BOEHM ERVS Parisis eo, quo per Galliam proficisebatur, tempore rarius tumidum vidit abdomen, quamvis ligaturam ibi non prius, quam versus primos quatuordecim puererii dies, neque, ut STAHLIVS vult, quam maxime mature iniiciant, et FRIEDIVS fasciationem omisit, nec detrimentum inde ceperunt puerperae, teste huius rei locupletissimo, Illustri BOEHMERO. Observations quoque LAMOTTII adducere possim in testimonium, qui cum infensissimus esset puerarum fasciationi, eadem neglecta, ven-

getur - evenit enim subinde puerperis ex hoc neglectu durabilis illa abdominis distensio, et in se flatulenta, et flatulentiae etiam in posterum facile et varie exacerbandas velifscans, ut puerperae tales ab huiusmodi neglectiore deligatione admodum inflatum-abdomen retincent. Neque absimili ratione p. 39. indicat: ante omnia vero quam maxime mature, post editum eniuersum cum secundinis partum, ligetur decenter fascia lata aut bene mundo mantili probe calefacto venter puerperae, ne tenere flaccescens, non solum in praesens repentinis atque diffusi flatulentis distensionibus pateat, sed etiam grauoribus pathematisbus, in posterum quoque duraturis, aut violenter repullulaturis, bac ratione via sternatur. Non enim aequa facile subsident, ut consurrexerunt, flatulentae distensiones.

d) Conf. med. p. 1006.

9

ventris formam numquam depravatam vidit^{e)}. Nec satis quidem apte ligaturis applicatis praecaueri posse videtur turgidum puerarum abdomen. Quod enim a diminuta partium elasticitate repetunt argumentum, specie tantum veritatis placet, nec nobis necessitatem earum satis persuadet. Nam memores nos esse oportet, vt alibi monuit Illustris BOEHMERVS^{f)}, eam, quae elasticitati decepsit, particulam neque adeo magnam, neque omnino inertem esse. Et ubi peculiaris quaedam ad obesitatem dispositio inhaeret corpori, equidem non intelligo, qua demum ratione impedit velint; quo minus venter incrementum capiat, toti corpori proportionatum; interdum enim videtur adiposa abdominalis sedem huius tumoris constitueret. An ars coercebit luxuriantem naturam et nimiam olei in cellulosa collectionem?

Nec

e) Traité des Accouchemens. Liv. V. Ch. IX. p. 795. Une femme, qui est heureusement accouchée, et dont la suite des couches n'a été trouvée par aucun accident, doit retrouver son ventre aussi petit, et sa taille aussi belle qu'elle étoit avant sa grossesse; c'est une vérité que je soutiendrois par l'expérience de quantité des femmes que j'ai accouchées depuis sept et huit fois jusqu'à dix-huit, sans que leur taille ni leur ventre en ayant rien souffert, n'ayant pas le ventre plus gros, ni la taille moins belle qu'elles l'avoient avant leur mariage. Vid. etiam Obs. CCCXVIII. CCCXX. p. 800. et 802.

f) Diss. de regimine puerarum post partum. Resp. DOPPEL. §. X.

g) STORCH Weibertrankh. VI. Th. p. 155. Supra infraque musculos abdominales magna spongiosis adipis (ein schwammichtes Fett) copia collecta erat. Cui consentit Ill. BOEHMERVS Diss. cit. §. VIII. Nec tamen denegamus, in macilentis subiectis, potissimumque in hystericis ab aliis etiam causis v. g. ab atonia intestinalium flatulenta, abdominalis tumorem igni posse.

B

Nec fieri potest, quod insulsum imaginatur obstetricium ingenium, ut eleutum vterum fixum immotumque sustineat is, quem ventri superimponunt, apparatus; vteri enim volumen intra nouem fere dierum spatum sensim ac sensim imminuitur. Accedit id, quod vesica, fundo superimposita, praebet obstaculum^{b)}.

§. V.

Sed missa faciamus ridicula muliercularum figmenta. Ex ante dictis satis, credo, elucescit, parum aut nihil efficeri fasciam siue in praecaendo siue in tollendo abdominis tumore. Neque inutile tantum est hocce remedii genus, sed praeter abdomen rugosum, strictiori ligature subinde tribuendum, multa etiam, eaque grauissima adferre potest pericula, vbi in primis adeo perniciose et pestifere agunt cum puerperis obstetrics, vt fasciam non acu, fibula, ligula vel futura sistant, sed pleniori duriorique, quem connectunt, nodo, eamque arctissime constringant, quo citius ad formae venustatem redeat venter, vt fert stolida earum opinio. Strictiore ista ligatura duas feminas ad extremum fere discrimen redactas vidit L E P E V Iⁱ⁾; grauissima enim erant, quae eam sequebantur, symptomata: plenaria lochiorum suppressio, dolores capitis non ferendi, oculi truces, scintillantes, iactatio, vigiliae, nausea, tussis, ruetus, vapores foetidi atque oppressio. Incassum instituebat V. S. in pede ac brachio; omnium remediiorum vim eludebant; vinciturae relaxationi tandem cedebat. Neque dissimilis est L A M O T-

T I I

^{b)} Vid. MAURICE AV Traité des Maladies. T. I. Liv. III. Ch. 2.
p. 376.

ⁱ⁾ Pratique des Accouchemens. [Liv. III. p. 526, 527.]

T I I k) obseruatio, qui ex rudiore fasciatione febrem exardecere vedit grauissimam, ac dolores eamdem insequi vehementissimos cum deliriis, suppressione lochiorum, aliisque symptomatis, ex turbato sanguinis circuitu oriundis. Quid mirum, si ex nimia formosi habitus cura, qua detinentur feminae, id ipsum, quod auertere cupiunt, malum sibi consciscant, eleuatum, inquam, abdomen? Recte enim annotauit M A V- RICE AV^l), tantum abesse, vt, qui vi propria fese restituit, strictiore deligatione in statum naturalem restituatur uterus, vt deorsum prematur, adeoque femina per longum tempus molestum percipiat in hypogastrio grauitatis sensum, ventrisque non imminuatur, sed magis etiam increbat volumen propter adauictum ex sensu dolorifico ad uterum ac partes vicinas sanguinis affluxum. Addidit idem, ventrem puerarum, earumque inprimis, quae fortior em sustinuerint vincituram, vsque ad primam euacuationem menstruam ut plurimum manere tumidum. Illustris etiam P R A E S E S abdominis tumores inter nostrates, quas omni studio ligare solent, obseruauit frequentissime, ac monuit: *institutam istam abdominis ligaturam tumoris cauissam existere posse, eidemque occasionem praebere, cum forti partium statim a partu facta compressione circulum humorum turbet; quae noxa cum respirationis, coctionis et excretionum turbis tanto magis metuenda venit, quando, ut fere fieri solet, fascia angusta partem abdominis, quae pectori subiacet, arcte constringunt^m.* Sin adhaec debilitas pulmonum, hepatis, lienis, aliorumque viscerum laesiones adsunt, si propensio adest ad affectus soporosos, quaenam inde profluent mala? Non-

B 2

ne

k) lib. cit. Obs. CCCXVI. p. 796.

l) lib. cit. p. 377.

m) Diss. cit. §. X.

ne praesens viscerum morbus augebitur? Nonne quibus-dam mors subitanea superueniet?

§. VI.

Strictioris ligature incommoda cum perspiccerent insti-tuti huius fautores, id inculcarunt vehementissime, vt mode-re tantum primo a partu die adstringeretur fascia; probe enim intellectum habuerunt, post validos adeo, inprimis in partu difficultiore, nixus abdomen, quasi contusum foret, obtuse dolere, vterumque ipsum similiter esse adfectum. Hinc M A V R I C E A Vⁿ) suadet, vt a principio et per omne id tempus, quo fluant lochia, non nisi *continens* adhibeatur *fascia*, (bandage contentis) i. e. quae firmer et fulciat qui-dem laxum abdomen, non valide premat. Rudiora con-demnat splenia, quae vtero, primis post partum diebus adeo sensibili, contusionem atque inflammationem periculoso-sissimam inducant; magnum splenium quadratum toti abdomini applicari iubet, ac dein moderata ligatura firmari. Post primos quoquordicim dies praeterlapsos, si quidem muliebris cessauit purgatio, paullatim et citra periculum arctius constringi poterit fascia, eadem scilicet ratione, qua vteri volumen decrescit. Ligaturam, simili ratione applicandam, com-

D) lib. cit. p. 376. Vulgaris abdominisvincendi ratio, qua obstetri-ces vtuntur, haec est: primum ventri applicant splenium quater aut quinques conduplicatum, matricem, vt perhibent, eleuandi gratia, et nonnumquam duo insuper splenia, arcte firmiterque con-noluta, lateribus, vt matricem teneant immotam, metuentes scili-cet, ne magis ad unam, quam alteram partem vacillet atque proelinet; priori splenio quadratum superimponunt, quod ventris latitudinem habet; tum mantili bis terque conduplicato, cuius latitudo quadran-tem vlnae adaequat, pro fascia vtuntur, qua firmiter stringunt ven-trem ac comprimunt.

commendauit nouissime B A V D E L O C Q V I V S^{o)}, qui testatur, vbi primis a partu diebus omissa fuerit placida ventris compressio, et vteri volumen magis adauctum, et maiorem sanguinis copiam in eo fuisse collectam.

Nec leuiores illas ac seriores ligaturas, vtpote quae circulum nulla ratione perturbant, omni ex parte damnamus. Anne vero naturali ventris gracilitati restituenda sufficiet placida ista compressio? - Dubitat L A M O T T I V S^{p)}, ad cuius sententiam et nos accedimus.

§. VII.

Sed latius patere dicitur ligatura abdominalis utilitas. Frequenter enim accidit, vt *lipothymia* et *syncope* corripiantur, puerpera. Fasciam latam, laxum abdomen fulcirent, tollere ista mala, censuit B O E R H A V I V S^{q)}, atque immortalis eiusdem Commentator magnum huic rei attulit pondus. Grauiditatem enim ad hydropem abdominis comparat, statum abdominis autem, qui partum modo absolu-

tum

o) L'art des Accouchemens. Part. II. T. I. Ch. V. Art. II. Sect. 2.

p) Lib. cit. p. 794. *Au reste de quel secours peut etre ce bandage fin, pllement contentif les douze ou quinze premiers iours, qui se fait avec une serviette en trois doubles? Il ne le rendra certainement point dans son premier etat de petitesse, et ne donnera point de lieu a la matrice de se mieux vuidier, ni plus promettre, apres cela peut-on disconuenir qu'il ne soit aussi inutile qu'incommode, puisqu'il ne la comprime en aucune maniere?*

q) Aph. 1323.

rum excipit, ad illum, qui paracentesin abdominis in hydrope sequitur. Temperare mihi non possum, qui huc transscribam locum elegantissimum, quo ingeniosum satis argumentum continetur^{r)}: olim non simul et semel, sed partitis vicibus aquae hydropicorum eductae fuerunt; quia obseruatum fuerat, animi deliquia et syncopen, immo mortem sequi, si integre evacuaretur abdomen. Nempe in laxa illa et omni pressione libera abdominis viscera ac vasa sanguis irrueret, sive a cerebro et cerebello auerteretur; simul etiam periculum erat, ne vasa et viscera, diu in aquosa hac colluuii macerata, a subito irruente sanguine rumparentur. Postquam autem idonea ligatura stringebatur abdomen sensim magis magisque proratione effluentis aquae, numerosis experimentis evictum fuit, tuto omnes hydropicorum aquas simul et semel educi posse, neque tunc sequi animi deliquia aut syncopen. Verum idem obtinet post puerperium, adeoque et eadem indicatur cautela. Similiter et SMELLIE sentit, qui intra id ipsum tempus, quo fascia paratur, ventrem leniter comprimi iubet, ubi immineant affectus lipothymici, aut puerpera iisdem corripiatur.

Equidem nullo modo de hocce ligature abdominalis commodo dubito, et lubenter largior, multa praepediri mala, si caueamus, ne uterus atque abdome nimis a partu properanter concidant. Attamen puerarum lipothymiae ut plurimum leuiores ac fugaces sunt, nec periculo grauiore stipatae, siquidem pulsus et respiratio sensibiles sint ac regulares, et corpus artusque haud insigni adficiantur frigore, nulla anxietas adsit, nulla cordis palpitatio aut grauior haemorrhagia, neque, ut sit, in partus negotio aut extractione

r) V. SWIETEN Comm. T. IV. p. 584. 585.

tione placentae rupturam sustinuerit vterus. Sin vehe-
mentiora ista symptomata vrgeant, ac dilaceratus fuerit
vterus, an ab instante et certissime superueniente morte
pueraram tuebitur fascia? Scilicet!

§. VIII.

Contra dolores *post partum* ab aliis commendatam legimus vincluram, abdomini iniciendam. Ex HEISTERI^{s)} enim sententia ea omnia, quae fauent hisce doloribus, vt portio placentae aut tota placenta relicta, sanguis grumosus, in vtero collectus, partus difficilis, impeditus lochiorum fluxus, flatulentia, cet. acriores doloribus suffigent stimulos, vbi fascia aut mappa non rite deligatum fuerit abdomen. Minores etiam post partum dolores sequi, vidit GORTERVS^{t)}, dum statim abdomen molliter fulciretur lata fascia, mantili vel mappa, quae post aliquot horas, detumescente magis abdomine, laxius haerere incipiens, de-nuo moderate adduciebatur, cauendo tamen semper validam compressionem. Et cl. SELLIVS^{u)}, vt ex recentioribus vnum adducant, comprobavit nouissime fasciam, in doloribus post partum, quatuor aut sex horis elapsis, sensim ac sensim arctius constringendam. Nec defuerunt me-dici, qui ventris dolores, futuro tempore oriundos, neglectae post partum tribuerent ligatura^{x)}.

§. IX.

s) Praet. med. Handb. p.488.

t) Van de Sluitband. p. 36. seq.

u) Med. clin. p.443.

x) IVNCKER lib. cit. p.837. *Puerperae, quibus abdomen post par-tum non decenter ligatur, bae non solum in puerperio, sed etiam fu-*

§. IX.

Neque vim omnem ab iudicare volumus fasciationi, ad dolores post partum mitigandos, imo sistendos; praepri-
mis si respiciamus, ad caussas eorum frequentiores pertinere
raptum sanguinis ad laxata a partu loca abdominalia, quem
coercebit fascia modo §. II. n. 1. et 2. determinato. Hinc,
minus grumosi sanguinis in utero colligi, animadvertisit
GORTER v. sy). Flatus, quae intestina, nunc a compres-
sione libera, distendunt, ansam praebere possunt doloribus,
et huic caussae recte opponitur fascia, quippe quae vim
tonicam exserit, et motum peristalticum quodammodo au-
get. Eamdem propter rationem aluum facilius sequi in
puerperis, vidit GORTER v. s²), dum aliter durae faeces
in colo intestino facile distendendo colligantur in maiorem
molem, quae postea summas molestias parere potest, dum
per anum debet exprimi. Dictis consentiunt, quae obser-
uauit BAVDELOCQVIVS³: vineturam distensionem in-
testinorum impedire, partibus, ad ectopiam nisum exer-
centibus, resistentiam praebere, et hernias praecauere con-
secutivas. Sed alia etiam ratione fascia lenire potest post par-
tum dolores, ea scilicet, quam §. II. n. 3. exposuimus, sat
enim frequenter ab inaequali fibrarum cum uteri, tum alia-
rum partium, quae ad abdomen pertinent, contractione
proueniunt.

Nec

futuro tempore colica cum magna flatulentia adficiuntur. Vid, eti-
am HOFFMANN, M. R. S. T. II. p. m. 286.

y) l. c.

z) l. c.

a) l. c.

Nec tamen absolute necessariam, nec semper satis tantum existimо fasciarum applicationem ad tollendos post partum dolores. In feminis enim, quae primigeniae et vegeto valentique sunt corpore, rarius animaduertuntur, atque interdum fluxui lochiorum adiuando inseruiunt; neque omnibus dolorum caussis satis tuto repones fasciam, v. c. secundinis ac grumis restituantibus, partium contusione, excrementis in colo stagnantibus, cet. Secundinae et grumi manu educi debent, non omissis enematibus sic dictis uteris ex aqua tepida, ope siphonis iniecta; excrements vero, in colo stagnantia, clysteres emollientes, laxantia, cataplasma emollientia, al. requirunt.

§. X.

Imaginantur etiam desipientes mulierculae, strictiore vincitura *lockis* vndique *purgari* calamitatem yteri; quasi res perinde se habeat, ac si mantilis ope iuscum carnium ex elixa carne exprimant. Mirum sane videtur, neglectam hanc conuenientem ventris post partum ligaturam a C A R T H E V S E R O^{b)} inter caussas fluxus lochiorum aut iusto parcioris aut rursus suppressi numeratam fuisse. Aut enim arctitus constringitur fascia, aut non. Si arcte constringitur, fieri non potest, quin ex dolore, matrici inflicto, et huic superueniente inflammatione salutaris, quam natura molitur, euacuatio supprimatur, quod ex L A M O T T I I et L E P E V obseruationibus clarum est. Si continens adhibetur fascia, dubito equidem cum L A M O T T I O, an euacuandae matrici ista sufficiat, cum vix et ne vix quidem illam comprimat.

Vide.

b) Fundam. Pathol. et Therap. T. II. p. 471.

C

Videtur tamen in rariore quodam casu fluxum lochiorum adiuuare fasciatio. Nonnumquam enim feminis, quae frequentiorem enixaerunt aut geminatam prolem, incidere solet, ut, relaxato peritonaeo, e sede sua aliquantum in priorem partem promoueatur vterus, atque ante peitinem promineat. Quod parturientibus nonnumquam summa difficultatem adfert, nisi aliter, ac ceteroquin fieri solet, et supinae collocentur feminae; nec raro, partu edito, idem prohibet, quo minus recte proueniant lochia. Et huic incommodo fascia, si rite fuerit applicata, mederi potest, teste b. PLATNERO^{c)}.

§. XI.

Denique ad *fluxum lochiorum nimium* praeoceupandum abdominis post legitimam fetus et secundinarum exclusionem ligatura commendatur a IVNCKEROD^{d)}. In *haemorrhagiis vteri chronicis*, etiam in senili aetate, dum sacculum roborantibus remedii plenum applicabat abdomini, et simili fascia firmabat, pulchrum effectum vidit GORTERVS^{e)}. Sua quoque experientia edocetus, BAVDELOCQIVS^{f)} laudat fasciam, in quibusdam post partum haemorrhagiis, immediata vasorum abdominalium compressione, raptum sanguinis versus vterum refraenantem. Nec

diffen-

e) Prolus. de fascia infirmitatem adiuuante. Lipf. 1745.

d) lib. cit. p. 130.

e) I. c.

f) I. c.

dissentit Illustris BOEHMERVS^{g)} de applicatione fasciarum, ubi efferae sint haemorrhagiae, in exemplum praeceptoris FRIEDII.

§. XII.

In magno utique periculo versatur semina, si sanguis post partum ex vtero cum impetu atque ita ruat, ut eius profusio exinanire illam possit atque interimere. Neque igitur omitti debent, quae efficacissima sunt remedia ad sistendum sanguinis impetum. Vasa enim vteri, nimia intentione debilitata et laxata, sanguinem haud citra periculum fundere, inter alia docet sanguinis profluum, quod in hydroceles curatione, quae scalpello fit, interdum accidit, et PLATNERVS^{h)} sibi accidisse fatetur, quodque ab omni sanguinis profusione differt, quae ex aliis vulneribus fieri consuevit. Nam primo die parum sanguinis effluit, et sua sponte plerumque, vel impositis aridis limentis conquiescit effluxus. Sed vero altero circiter die vulnus madere incipit, atque ex eo copiosior humor, ab initio limpidus, postea sanguinolentus fertur, quem tandem sanguis sincerus rubensque sequitur, ut eius profusio hominem exhaustire queat. Cuius rei non alia est magis probabilis causa, quam quod arteriae in testium velamentis ab aquarum mole admodum distentae fuerint, hinc longo, quo tumor infudit, tempore debilitatae. Dum enim febris incursat vulneraria, a sanguinis irruentis impetu ampliantur vasa, tam naturali, quam vitali renixu destituta. Quapropter, effusa aqua, fasciam adhibent chirurgi, quam ^{pen-}

C 2

g) Diss. cit. §. XI.

h) I. c.

pensorium vocant, illamque ita accommodari iuber
PLATNERVS, ut scrotum eique superimposita non su-
stineat tantum, sed etiam paullo magis comprimit atque
adstringat.

Et haec sunt potiora rationum momenta, quae ligaturae
abdominalis fautores adserre solent. Ex iis, quae haec tenus
disputauimus, clarum est atque perspectum, ex ea et com-
moda prouenire, et multa mala enasci posse pro applicatio-
nis, et rerum, quae circumstant, diuersitate. Hinc, ubi
inprimis fasciationi assueuerunt feminae, nec nos improba-
mus eamdem, dum ea, quae tutissima nobis videtur, in-
stituatur methodo. Venti itaque superimponi poterit sple-
nium aut mantle quadruplicatum, quod formam trianguli
habet, ita quidem, ut basis trianguli versus partem abdo-
minis, thoraci subiectam, apex versus symphysein, crura
versus latera tendant. Apparatus hic fascia obfirmatur,
incalefcente anni tempore ex linteo, tempore vero hiberno
ex panno xyli ad spithamea latitudinem parata, et ad la-
tus mediantibus tribus nodulis ligulise tali modo cornexa, ut
fasciam inter atque abdomen haud difficulti nisu palmam in-
terponere, adeoque splenium aut mantle, humidum fac-
tum, subter illa possis subtrahere ac supponere recens,
ipsam vero fasciam, circumacto lochiorum tempore, paullo
arctius tensim sensimque constringere. Neque tamen in
vniuersum ventris deligationem multis verbis ornandam
equidem existimo, cum ea, quae partum naturalem, nec
difficilem excipiunt symptomata, maximam partem leviora
sint ac fugacia, et facile cedant tutoribus remediis, semper
vero metuendum sit, ne commendata ligatura male institua-
tur, damnumque puerperae inferat.

§. XIII.

§. XIII.

Quae de ventris deligatione statuimus, non difficile erit, mammarum compressioni accommodare, quae perinde, ac illa, in usum abiit communem. Haec vero dupli-
ci potissimum scopo instituitur. Plerumque id spectant fe-
minae, ut aeris ad mammae accessum impedian, easque
tepidi habeant, ne coaguletur scilicet lac; hac mente cata-
phractae quadam specie utuntur, et leniter eam adducunt.
Nec tamen crediderim, multum desideraturas esse puer-
eras cataphractam, dummodo linteo molli aut mantili conte-
gant mammae. Sed alio etiam consilio mammarum com-
pressionem instituunt puerperae, quibus non placet, vbera
admotere infanti, ut copiosorem affluxum lactis, et inde
oriundam distensionem mammarum impedian, earumque
formam elegantem conseruent. Hae cataphractam arctius
constringunt, nec raro in subsidium vocant adstringentia
topica; frequenter hinc accidit, ut grauissima valetudine
rationis temerariae poenam luant. Nolo equidem, ubi lac-
tis requiratur discussio, a compressione mammarum dissuade-
re penitus. Laudauit eam STAHLⁱ, atque Illu-
stris Boehmerus annotauit, hoc remedio salubriter ut in
Gallia, ubi linteo complicato mammae imposito vestimenta
thoracis arctius constringunt; compressis itaque vasis, se-
cretionem lactis sufflaminant. Summa tamen opus erit caute-
la, et in primis ad tempus respiciendum. Post paucas a partu
horas, ubi haud dum subiit lac mammae, cautam earum de-
ligationem atque elevationem, quae fit ope suspensorii, ad-
mitto, ne forte inflammationem sustineant ab affluxu nimio.
At mammae iam lacte repletis, admodum suspecta mihi vi-
detur strictior earum compressio, cum periculum sit, ne an-

fam

i) Diff. cit. p. 46.

sam paebeat duritiei mammarum, earumque obstrunctioni et ipsi inflammationi. Hinc, vt calore lactis promoveatur discussio, sic dicto sparadrapo, ex pinguedinosis quibusdam cum cera, spermate ceti et oleo amygdalarum camphorato composito, et mammis applicato, superimponi poterit lin- teum complicatum, idque fascia quadam thoracica leniter obfirmari, non omissis remedias internis et congrua pae- pri-
mis diaeta.



Halle, Diss.) 1782/85

ULB Halle
002 169 606

3



sb

Farbkarte #13



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

DE
FASCIARVM CAVTA
IN
PVERPERIS APPLICATIONE

GRATIOSI ORDINIS MEDICI
IN REGIA FRIDERICIANA
AVCTORITATE ET CONSENSV

PRAESIDE

D. PHIL. ADOLPHO BOEHMERO,
FACVLTATIS MEDICAE SENIORE, ETC.

PRO
GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS
AC PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS
LEGITIME IMPETRANDIS

A. D. XXVI. APRIL. MDCCCLXXXIII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DISSERET
IOANNES LVDOVICVS BRVNOW
COLBERGA-POMERANVS.

HALAE,
LITTERIS IOANN. CHRIST. HENDELIL.